



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica**

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu  
transnaturali

**Lynch, Richard**

**Lvgdvni, 1654**

II. Nosta in præsenti controuersia opinio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

auctores eam, quæ ex speciali conditione aliqua-  
rum inseparabilium non proficiscitur, sed potius ex  
primariis earum conceptibus ducit originem. Verum  
ne hæc identitatis, ac distinctionis explicatio mihi  
aridet. Nam in primis haud est à priori, cum non  
ideo conceptus aliqui distinguantur, aut identifi-  
cantur, quia separabiles, aut inseparabiles sunt, sed po-  
tius è conuerso; quod ne hos auctores crediderim  
inficiaturos. Deinde inseparabilitas animalis, & ra-  
tionalis primaria, ac directa non esset, prout ad vtriuf-  
que requiritur identitatem, ea si explicatio valeret:  
siquidem oritur ex peculiari eorum conditione: quod  
apertissimum est, quia si alterius conditionis fo-  
rent, non minùs separari possent, quàm homo,  
& equus.

12 Tum etiam: personæ diuinæ realiter distinguun-  
tur: & tamen sunt primariò, & directè inseparabiles:  
quod enim hæc inseparabilitas oriatur ex eo, quòd,  
vel essentia diuinæ identificentur, vel inuicem essen-  
tialiter referantur, vel necessaria, æternæ, immensæ  
sint, vel ex alia simili earum conditione, vt hi recen-  
tiores disputant, non obest, quominus ea inseparabi-  
litas primaria sit, atque directa: siquidem leo, & ho-  
mo primariò, & directè separabiles sunt, & tamen  
ea separabilitas oritur ex eo, quòd non sint idem  
vni tercia essentia; si enim hanc sortirentur identi-  
tatem, inseparabiles essent, non minùs, quàm tres  
diuinæ hypostases: similiter ergo personæ diuinæ  
primariò, & directè inseparabiles erunt, licet ea inse-  
parabilitas proficiscatur ex eo, quòd sint eadem vni  
essentia. Rursus, quòd leo non sit homo, ab eoque  
separabilis sit, oritur ex eo, quòd vterque sit ens fi-  
nitum, non necessarium, neque æternum, aut immen-  
sum: sicut enim infinitas naturæ diuinæ eius vnita-  
tem, siue, vt significantius dixerim, vnicitatem fundat,  
ita & contrariò finitas rerum creaturarum, earum di-  
stinctionem, ac multipliciter fulcit, efficitque,  
vt aliæ aliarum perfectionem identicè non inclu-  
dant: at leo, & homo nihilominus sunt separabiles  
primariò: quòd igitur inseparabilitas personarum  
triados earum infinitati, ac necessitati accepta referri  
debeat, nequaquam obstat poterit, quominus sint  
inseparabiles primariò. Nec video, cur separabili-  
tas ex finitate, contingentia, aut simili conditione  
profecta adhuc primaria, & directa sit, & inseparabi-  
litas ex infinitate, aut necessitate oriunda non sit pri-  
maria, & directa.

13 Septimò alij censent, tunc duo esse idem realiter,  
quando ambo simul sumpta alterutrum perfectione  
non excedunt, distincta verò, quando secus se res ha-  
bet. Contra tamen sic arguo: tres personæ diuinæ re-  
latiue, & in abstracto sumptæ alterutrum perfectione  
simpliciter non excedunt, vt etiam ipsi cum commu-  
ni Theologorum sententia aduersus nostrum Fasol-  
um supponunt, vtque constat ex cuiusvis personæ  
diuinæ infinitate simpliciter tali, de cuius certè con-  
ceptu est, vt nunquam se superari patjatur: & tamen  
non propterea vna persona diuina realiter identifi-  
catur cum alia. Quò huic difficultati satisfaciant, ad  
identitatem personarum absolutam, & in natura re-  
currunt. Sed incassum: nam defectus inæqualitatis  
iuxta eos est identitas: ergo & defectus inæqualitatis  
absolutæ, & quoad naturam, erit identitas absoluta, &  
quoad naturam, defectus verò inæqualitatis notio-  
nalis, & quoad personalitates erit idéitas notionalis,  
& ipsarummet personalitatum: sed ipsi admittunt  
vtrumque defectum inæqualitatis in personis di-  
uinis, fatenturque duas earum, vel etiam totas tres,  
nec essentialiter, nec etiam notionaliter esse perfe-  
ctiores qualibet singulari sumpta: eas ergo debent

admittere identificatas vtroque modo, & penes natu-  
ram, ac penes ipsas relationes, si quid valet tradita ab  
eis definitio identitatis.

Argumentor secundò: duæ carentiæ non sunt  
magis perfectæ, quàm vna sola: & tamen altera ear-  
um haud propterea cum altera identificatur, sed  
potius, vel iuxta aduersarios summè distinguuntur.  
Nec valet, si quisquam dicat, duas esse simpliciter  
imperfectiores vna sola: tum, quia hi recentiores ad  
talem imperfectionem non confugiant, nec per eius  
æqualitatem explicant conceptum identitatis: tum  
etiam, quia iuxta ipsos duæ carentiæ non possunt  
esse imperfectiores vna sola, eo, quòd censcant im-  
perfectionem cuiuslibet carentiæ summam, & infi-  
nitam esse, & eam planè, qua non potest excogitari  
maior imperfectio, quia, scilicet, qualibet carentia est  
omnis perfectionis experta. Hoc argumento colli-  
gunt relationem dissimilitudinis absque inæquali-  
tate perfectionis, aut imperfectionis reperiri posse:  
constat enim, inquit, multas carentias dissimiles  
esse suo modulo: & tamen neutra est imperfectior  
alia, eo, quòd alterutra sit summè imperfecta.

Argumentor tertio: quemadmodum relatio ex-  
cessus opponitur identitati, ita & quævis alia re-  
latio realis similitudinis, æqualitatis, dissimilitudinis,  
& causalitatis, &c. vt infra latè à nobis ostendetur  
huiusmet libri tract. 4. cap. 15. Cur ergo exponitur  
identitas per carentiam relationis excessus, & non  
potius per carentiam cuiusvis alterius: si nimirum, vt  
ea sint idem, non solum quorum complexum al-  
terutrum non excedit, sed etiam quorum neutrum  
ad aliud potest realiter referri per similitudinem,  
causalitatem, aliumue respectum. Quarto sic argu-  
mentor: prius est aliqua realiter distingui, quàm re-  
ferri realiter per similitudinem, æqualitatem, &c. prius  
igitur est identificari aliqua, quàm excludere relatio-  
nem realem excessus, aliamue quamlibet: sicut enim  
se habet distinctio ad relationem realem, eique præ-  
stat fulcimentum, ita se habere debet identitas ad  
carentiam relationis realis, eiusque esse fundamen-  
tum: perperam ergo explicatur identitas realis duo-  
rum per hoc, quòd ambo non excedant realiter al-  
terutrum: quo pacto si Petrus, verbi gratia, prius esset  
homo, quàm animal rationale, nequaquam posset ho-  
minis essentia explicari, & definiti per animalitatem,  
cum rationalitate coniunctam.

Tandem octauò, alij adstruunt identitatem esse  
rationem formalem huius, quod est esse idipsum. 16  
Ceterum hæc definitio non talis est, sed synonyma  
potius: nam idem *ab id* deriuatur, ab eoque non di-  
stinguitur, nisi vnus adiectione syllabæ: quocirca  
idem, & id, siue identitas, & ratio ab aduersariis in  
eius explicationem adducta non magis differunt,  
quàm Deitas, & diuinitas, imò fortasse minùs: at  
Deitas, & diuinitas sunt nomina synonyma: ergo, &c.  
Quòd si ad ipseitatem, vt sic dixerim, recurrant, ea  
etiam est vox synonyma respectu identitatis, vel certè  
ea neutiquam est clarior: eius ergo additio haud facit,  
vt definitio identitatis possit sustineri.

## CAPVT II.

*Nostra in precedenti controuersia opinio.*

Difficile quidem est inuenire in hac materia quid  
domino satisfaciatur. Interim existimo, identita-  
tem realem esse indistinctionem realem ab eo con-  
ceptu, cui res eadem dicitur. Ita prater alios Mairo  
in 1. dist. 8. quæst. 6. art. 2. suadet autem: nam eo  
ipso,

ipso, quod aliquos conceptus indistinctos realiter concipiamus, eos etiam realiter idem iudicamus. Deinde identitas ad distinctionem ita comparatur, sicut unitas ad diuisionem, sed unitas in indiuisione consistit, ut expresse docet Aristoteles lib. 5. metaph. cap. 6. his verbis: *quacunque diuisionem non habent, qua ratione non habent, eatenus unum dicuntur*; utque cum eo fatentur omnes: ergo & identitas in indistinctione collocanda est. Distinctio autem realis facilis explicatu est, definiturque potest ea, qua vnus conceptus à parte rei verè non est alius conceptus, alius, inquam, vel ratione, vel repetitione, vel re, vel nomine, ne distinctionem realem per semetipsam definiamus: quid sit autem vnus conceptum verè, & à parte rei non esse alium, ex ipsis terminis liquet.

18 Enim verò aduersus hanc nostram sententiam, quo luculentior sit, obiciuntur primò. Identitas non est indistinctio à quacunque re indiscriminatim: sic enim nihil esset identitate vlla præditum, cum nihil sit indistinctum à quolibet alio: identitas ergo est indistinctio rei à seipsa: explicatur ergo per ipseitatem, ut sic dixeris: ipseitas autem est identitas, aut certe non clarior illa: iam ergo definitur identitas, vel per seipsam, vel certe per aliquid se haud magis notum, sed potius aequè obcurum. Obiciuntur secundo. Haud benè explicatur lux in ordine ad tenebras, perque earum exclusionem hunc in modum, lux est carentia tenebrarum, videlicet, quia lux est conceptus, positiuus, adeoque notior tenebris, quæ sunt in negatione lucis sita: non ergo est explicanda identitas in ordine ad distinctionem, nec per exclusionem illius, cum videlicet illa sit conceptus positiuus, distinctio verò negatiuus, nempe hoc non esse illud; quo fit clariorem esse identitatem, magisque notam distinctione sibi opposita.

19 Obiciuntur tertio: distinctio est vnum non esse re vera aliud: ergo est vnum non habere identitatem cum alio: iam ergo distinctio explicatur per negationem identitatis: hæc ergo non est è conuerso definienda per negationem distinctionis: alioqui in identitate, & distinctione explicanda circulus committeretur, fietque, ut vtrique maneat reipsa inexplicata. Obiciuntur quartò illud Iobi c. 16. *in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius*. Vbi insinuat, identitatem per nomina *ego, ipse* significatam esse formaliter diuersam ab indistinctione, siue nõ distinctione significata per terminum complexum, & non alius: alias quorum hæc particula adicitur post illa pronomina demonstratiua, si præter horum intellectum, nihil aliud, saltem ratione distinctum superaddit: Obiciuntur quintò. Animalitas v.g. non est reipsa rationalitas, cū sint formalitates ex natura rei distinctæ; & tamè nõ sūt realiter absolute distinctæ: perperam ergo hæc distinctio realis absolute dicta explicatur per vnū nõ esse reuera aliud, perque distinctionis ita definitæ negationem id entitas.

20 Ad primum argumentum horum respondeo, identitatem esse indistinctionem præcisè sumptam, & nec ab omni re, sic enim nulla esset vsipiam identitas, nec etiam à seipsa, sic enim definitum intraret definitionem. Itaque identitas absolute est indistinctio absoluta: & identitas cum tali conceptu est indistinctio à tali conceptu. Ad secundum respondeo. Distinctio realis est relatio realis, identitas verò solius rationis nihil enim ad seipsam, nisi improprie, & consideratione nostra refertur: Ita vero comparatum est, ut relatio realis notior nobis sit, quam relatio rationis, sicut ens reale notius est, quam ens rationis, & non per illud explicatur, sed è conuerso: quid mirum ergo, si simili de causa identitas definitur per carentiam distinctionis, siue indistinctionem.

*R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.*

Cæterum hæc ratio non procedit in luce, & tenebris, quasi hæc sint clariore illa, oppositum enim est luce clarius: magis ergo est, ut tenebræ definiantur per lucem, quam, ut lucis definitio sit carentia tenebrarum.

Ad tertium respondeo, distinctionem, merito cuius vnum non est aliud, esse quidem reipsa carentiam identitatis cum alio; cæterum formaliter, ac ratione nostra non esse talem negationem: quod constat primò, quia hæc propositio, *Petrus non est lapis*, & hæc, *Petrus non est idem cum lapide*, non sunt identicæ: obiectum ergo vnus, & alterius ratione nostra distinguuntur. Secundò, quia facta hypothese, quod Petrus sit niger, hæc propositio, *Petrus nullo modo est albus*, est vera: & tamen hæc est falsa, *Petrus nullo modo est idem cum albo*: siquidem est idem cum albo, quoad huius materiale. haud ergo est prorsus idem ex modo significandi vnū non esse aliud & non esse idem cum illo. Instabis tamen: hominem v.g. esse animal, est esse idem cum animalis, ergo non esse hominem animal, est non esse idem cum animali, siue negatio identitatis inter vtrumque; cum ergo distinctio sit vnum non esse aliud, sanè erit formalissimè negatio identitatis. Difficilis instantia: quàm tamen sic dilues: hominem esse animal est esse idem radicaliter cum illo, non tamen formaliter, & cōpletè: completur autè, actuaturque inchoatio illa identitatis realis inter hominem, & animal per propositionem illam, *homo est animal*, explicata, hoc solo, quod intelligatur hominè, & animal nõ distingui inuicem. Et quidè plus aliquid significant maioremque habent energiam, hæc voces: *homo est idem cum animali*, quam hæc: *homo est animal*: quia ergo priores tantum denotant identitatem radicalem, siue identitatis realis inchoationem quandā; posteriores vero eius perfectionem & consummationem.

Ad quartum respondeo, potius locum illum lobi nobis fauere: eo enim indicatur, indistinctionem esse essentiam identitatis: quo pacto si quis proferat hæc propositionem Arrianorum hæresi contrariam, *secunda persona Trinitatis est Deus, & verè ens à se*, geminatio eam claudens haudquaquam denotabit rationem entis à se distingui à Deo, sed potius eius esse essentiam, & conuenire filio. Ad quintum, & postremum respondeo, negata veritate illius propositionis, *animalitas non est rationalitas*, harum formalitatum distinctione actuali media: quod enim ea commentitia sit, constabit tract. seq. sed fac eas ita distingui, & propositionem illam negatiuam esse veram: Quo pacto est explicanda distinctio realis: haud enim ea facta hypothese definiri potest per hoc, quod est vnum conceptum non esse alium.

22 Verum imprimis sibi consulat aduersarij: nobis enim satis fuerit in nostris responsis principiis, eisque suppositis subiectam alleuasle difficultatē. Deinde respondeo cum Fonseca lib. 5. metaph. c. 6. q. 6. scilicet. 1. distinctionem realem eam esse, quæ inter producibile, & productiuum intercedit. Contra quam definitionem, qua suppositis aduersariorū principiis nullam posse triadi meliorem arbitror, duæ occurrunt difficultates: prior est talis: plura distinguuntur realiter, quæ tamen inuicem referri nequeunt instar producētis & producti, leo v.g. & homo: ergo, &c. Respondeo: imprimis si detur potentia obediēcialis, qua quodlibet ad cuiuslibet productionem eleuari potest, nihil est, quod non possit producere aliud à se distinctum per se loquēdo: Quod si ea potentia obediēcialis adeo latè fusa repugnat, ut plures cēsēt; nulla res est, quæ nõ possit producere quiduis à se realiter distinctum, ab eoue produci, quantum est ex parte distinctionis, aut aliter ad producēdū requisitæ: unde distinctio realis erit illa, quæ inter producēs, & productū intercedit, vel certè huic æqualis, & nõ minor. Posterior difficultas aduersus superiorem distinctionis

B

realis

realis definitionem Scotiis, quam nobis, magis necessaria, sic habet: aliqua res diuinitus seipsam realiter producere potest, & forte reducta est ad actum hanc potentia in humanitate Christi Eucharistiam instituente, ac seipsam sub speciebus panis, & vini reproducente: perperam ergo per relationem producentis, & producti realiter distinctio realis explicatur. Respondeo: nulla res seipsam primario producere potest, quidquid sit, an secundario se producere queat: nobis autem distinctionem realem in aliorum gratiam utrumque deficientibus, uti supra, sermo fuit de primaria productione, & aliam non supponente, secus vero de secundaria, & quae aliam supponat.

2.4 Aliter identitas, & distinctio explicari possunt à posteriori in nostris etiam principiis, ut illa sit eorum quae supposito inseparabilia sunt, hae vero illorum, quae supposito separari possunt, saltem diuinitus. Oppones tamen primo: essentia diuina, & Paternitas supposito separabiles sunt, cum altera in Filio, non altera reperiatur: & tamen realiter indistinctae sunt. Respondeo, de supposito vniuersaliter sumpto nos fieri ita, ut quae distinctae sunt, in nullo supposito communi esse possint, quae vero eadem sunt in aliquo supposito quaecumque sit simul esse debeant: essentia autem, & Paternitas saltem aliquod suppositum commune, videlicet Patrem essentialiter, deponunt. Oppones secundo: possibiles sunt aliqua natura creata, & subsistentia realiter distinctae, quae tamen sint essentialiter illigatae inuicem: sed ea natura, & subsistentia supposito inseparabiles forent. Respondeo: possibilis est ea natura creata, & subsistentia distincta ei essentialiter affixa quoad speciem: at non est possibilis ea affixio quoad indiuiduum, quia non est, unde proveniat, nisi à sola identitate: nobis autem sermo est de individuali connectione, non specifica.

### TRACTATUS III.

#### De identitate, & distinctione formali entis ut sic.

##### CAPVT I.

#### Distinctio formalis duobus explicata modis, & qui eam inter gradus Metaphysicos admittant, qui renuant.

1 DE identitate, & distinctione formali, agendum nobis est, non promiscue & vnà (sicut paulò supra de identitate, ac distinctione reali) sed scotum: ac prius quidem de distinctione formali velut magis nota, & mox de identitate eiusdem rationis: ita enim res postulat. Distinctio igitur formalis primo explicari solet, ita ut perinde sit atque ea, quae est inter conceptus obiectiuos separabiles, sin minus conuertibiliter, at certe irreciprocè, & non mutuo: v. g. inter materiam, & unionem cum anima rationali in se suscepta: aut etiam animalitatem, & rationalitatem, vel quosuis alios gradus inaequales: siquidem ita comparatum est, ut materia possit esse etiam humanitas sine vniione supradicta, contra vero nequeat hae esse etiam diuinitus sine materia; animalitas etiam licet semel identificata, & coniuncta rationalitati, nec in tempore, nec in aeternitate possit esse sine illa; at potuit hae suppositio iuxta sententiam, quam proponimus non dari, & animalitas inueniri sine rationalitate, ac non eis, sed hincibilitati,

v. g. in equo copulari: quo pacto volitio libera Dei, Petrum, verbi gratia, creandi potuit simpliciter in eo non esse, facta tamen suppositione, quod per eam Deus semel velit, nec in tempore, nec in aeternitate potest ei abesse.

2 Porro autem distinctio formalis hoc modo sumpta vocatur ita; non, quod sit formaliter ab intellectu, & non nisi fundamentaliter ex parte rei ipsius, sed quod sit actualis reuera, & ante omnem operationem intellectus: actus enim cum forma in idem recidit: merito igitur distinctio ex parte rei actualis dici consuevit eo ipso, formalis. Quamquam autem omnis distinctio realis, & vel ea, quae versatur inter rem, & rem mutuo separabiles, v. g. hominem, & equum, possit eodem iure, eademque de causa vocari formalis; siquidem quaecumque est actualis, id est actu & non virtute, aut fundamentaliter tantum in rebus: ceterum nomen rationis supremæ, & latissime fuisse, perspicuitatis gratia, attributum est soli rationi imperfectæ, videlicet distinctioni reali minori, non vero reali maximæ, denominatione, & appellatione, ut sæpè viuunt, debiliorem sequente partem. Hinc etiam est, ut huiusmodi distinctio vocetur, absolute distinctio ex natura rei, tamen si vocabulum hoc, quae late patet, omnem distinctionem, quae non sit solius rationis comprehendat. Appellari quoque solet distinctio ista formalis ex natura rei; necnon media inter distinctionem realem, siue absolutam, ac summam atque inter distinctionem solius rationis

3 Secundo, explicari assolet distinctio formalis, ut sit ea, quae interuenit inter conceptus omnino inseparabiles, & quorum neuter, aut simpliciter, aut facta aliqua suppositione possit esse absque alio: haud enim iuxta posteriorem hanc sententiam, & modum explicandæ distinctionis formalis etiam diuinitus potuit animalitas, quae est in homine esse sine illo, aut sine rationalitate eius propria, siue in eodem supposito, ut perspicuum est, siue in diuerso: nihilominus hac distinctio est à parte rei ut aiunt, actualis, & vera, quoniam animalitas, v. g. (par autem est ratio quorumuis aliorum graduum similium) ante omnem operationem intellectus, iuxta huius opinionis auctores, actu excludit à se, suoque conceptu rationalitatem; sic, ut reuera non sit omnino, & intimè illa: ac rationalitas similiter exterminat, abigitque à se rationalitatem; ut ambæ sint mutuo inseparabiles. Porro autem distinctio ista sic explicata vocari solet, tum formalis, tum ex natura rei, tum etiam formalis ex natura rei, ob causam paulò supra memoratam, atque (ut Patris Suarez disp. 7. metaph. sect. 1. num. 15. verbis utar) *Applicando illi tanquam imperfectiori generale nomen, quod vsitatum est.* Vnus etiam obtinuit, ut vocetur media, non quidem inter realem absolutam, & distinctionem solius rationis sic, ut modalem, aut quasi modalem cohibeat, sed potius inter realem, quaecumque sit, & siue absoluta, siue modalis, & distinctionem solius rationis.

4 His suppositis distinctionem formalem, & ex natura rei, siue in priori, siue certe in posteriori sensu vsurpatam inter gradus superiores, & inferiores, videlicet inter gradum genericum, & differentialem, & utrumque, ac indiuidualem, cuiusmodi sunt, v. g. animalitas, rationalitas, Petreitas, admittunt Scotus 1. met. q. 6. & 7. met. q. 16. & in 1. dist. 3. q. 6. & dist. 2. q. 7. & dist. 5. q. 1. & in 2. dist. 3. q. 1. & cum eo Antonius Andreas, Lichetus, Baillois, Rada, Trombeta, Ioan. Canonicus, Tartareus, Bonnetus, Hugo Cauellus, Brisseño, & reliqui ferme eius sectatores. Item, ex nostris Fonseca lib. 5. metaph. cap. 7. q. 13. sect. 3. Gregorius de Valentia, & quidam alij.

Quorum